



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iohannis Scheffleri S. R. Eccl. Presbyteri Concilium
Tridentinum antè Tridentinum**

Angelus <Silesius>

Nissæ, 1675

Articuli Quinti, Punctum Secundum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42264

Concilij Trid: antè Trident.
necesse est nec regenerationis sa-
cra fluentia prodesse. Verum
ut superfluatorū hominum prava
doctrina celeri veritatis possit ra-
tione discindi, proclamat Domi-
nus in Evangelio dicens: Sinice
infantes venire ad me, & nolite
eos prohibere: talium est enim
regnum coelorum.

*Articuli Quinti,
Punctum Secundum.*

IN Baptismo reatum peccati o-
riginalis remitti, & totum il-
lud, quod veram & propriā pec-
cati rationem habet, colli; non
verò saltem radi aut non impu-
tari. Manere autem in baptiza-
tis concupiscentiam & fomitem,
cumq; non esse peccatum, sed ad
pecca-

Artic: V. Punctū II.

peccatum inclinare. *vide verba
Concilij ferè eadem, Sess. 5.*

Origenes homil: 4. in Cant. Am-
putantur & exsecantur ab homi-
nibus peccata, cū in baptismo
donatur remissio peccatorum.
Idem homil. 14. in Luc. Quia per
baptismi Sacramentum nativita-
tis sordes deponuntur, propte-
rea baptizantur & parvuli. Nisi
enim quis renatus fuerit ex aquâ
& Spiritu, non poterit introire
in regnum coelorum.

*Epiphanius in Ancorato circ:
fin.* Aquæ non in uno hominis
membro fiunt, sed totum homi-
nis corpus purificant & circum-
cidunt, & ab omnibus malis li-
berant.

*Chrysostomus Serm: II. in E-
pist: ad Philippen: Christus phar-
macum*

Concilij Trid: antè Trident.

inacum quasi quoddam antido-
tum dedit baptismi lavaerum, ;
& sic omnem evomimus mali-
tiam: & effugata sunt simul om-
nia, & inflammatio cessit, & fe-
bris extincta est, & sanies exsic-
cata. Omnia enim & quæ ab a-
varitia, & quæ ab ira, & cætera
omnia mala per spiritum evanu-
erunt: aperti sunt oculi, apertæ
sunt aures, aptam vocem locuta
est lingua, vires acquisivit anima,
accepit talem pulchritudinem,
florem ac vigorem corpus, qua-
lem decebat habere pulchritudi-
nem filium DEI, natum ex Spiritu
tûs sancti gratiâ.

*Philo Carpathius in Cantic: Can-
ticor.* Addit ut ex vera confessi-
one suorum scelerum in ipso la-
vacro regenerationis toti mun-
dati

Artic: V. Punctum II.

dati sunt, & nive candidiores facti veterem hominem cum malefactis suis omnibus exuerint.

Martialis ad Tholosanos cap: 1.

Vos enim estis membra Christi & corpus immaculatum, nec aliquâ in re coinquinatum, neque sordibus obvolutum. Jam enim Sancti sicuti & mundati estis aquâ regenerationis.

Cyprianus sive auctor Serm. de ablut: ped. De abdito & secretissimo Spiritûs sancti munere hujus gratiæ liquor emanat, sic lavans quos parentalis labe infecerat, ut nec actualis nec originalis macula aliqua sui post ablu-tionem illam vestigia derelinquat.

Rheticius apud S. Augustinum lib: 1. contr. Julian: c. 1. Hanc esse prin-

Concilij Trid. antè Trident.

se principalem in Ecclesia indulgentiam neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignoratiæ nostræ facinora prisca delemus, ubi & veterem hominẽ cum ingenuis sceleribus exuimus.

S. Ambrosius d. Sacram: l. 1. c. 4.
Qui per hunc fontẽ transit, transit à terrenis ad coelestia. Hoc est enim Pascha, id est, tráfitus ejus: transitus à peccato ad vitam, à culpâ ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem. Qui per hunc fontem transit non moritur, sed resurgit. *Idem de ijs qui mysterijs initiantur c. 3.* Aqua est, quâ caro mergitur, ut omne abluatur peccatum, sepelitur illic omne vitium.

*S. Augustinus lib. 1. contr: duas
Epist.*

Artic: V. Punctum II.

Epist: Pelagian: cap: 13. Dicimus
baptisma dare omniū indulgen-
tiam peccatorum, & auferre cri-
mina, non radere, nec ut omniū
peccatorum radices in malâ car-
ne teneantur, quasi rasorum in
capite capillorum, unde crescât,
iterum refecanda peccata.

Idem l. 3. c. 3. Baptismus qui-
dem abluit peccata omnia, pror-
sus omnia, factorum, dictorum,
cogitatorum, sive originalia sive
addita, sive quæ ignoranter, sive
quæ scienter admissa sunt: Sed
non aufert infirmitatem cui re-
generatus resistit, quando bonū
agonem luctatur.

Idem in Enchirid: ad Laurent:
c. 64 Excepto baptismatis mu-
nere, quod contra originale pec-
catum donatum est, ut quod ge-
nera-

Concilij Trid. antè Trident.

neratione attractum est, regeneratione detrahatur, & tamen activa quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere, commissa invenerit, tollit.

Gregorius Mag. lib. 9. Epist: 39.
Si qui sunt, qui dicunt peccata in baptisate superficietenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius, in quâ ipsum fidei Sacramentum festinant solvere? In quo principaliter ad cœlestis mundiciæ mysterium anima ligatur, ut absoluta radicibus à peccatis omnibus, soli illi inhæreat, de quo Psalmista ait: Mihi autè adharere DEO bonum est, Certè enim maris rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes à tergo sunt mortui, sed alij contra faciem in eremo sunt inventi

Artic: V. Punctum II.

venti. Sic quippe omnes, qui in
sancto baptisinate tinguntur, eo-
rum peccata præterita omnia la-
xantur, quia eis veluti Ægyptij
hostes à tergo moriuntur. Sed
in eremo alios hostes invenim⁹:
quia dum in hâc vitâ vivimus,
priusquam ad promissionis pa-
triam pertingamus, multæ ten-
tationes nos fatigant, & ad terrâ
viventium tendentib⁹ iter inter-
cludere festinant. Qui ergo di-
cit peccata in baptisinate fundi-
tus non dimitti, dicat in mari
rubro Ægyptios non veraciter
mortuos. Si autem fateatur Ægy-
ptios veraciter mortuos, fateatur
necesse est peccata in baptisinate
fundit⁹s mori: quia nimirum
pl⁹s valet in absolute nostra
veritas, quàm umbra veritatis.

in E.

Concilij Trid: antè Trident.

in Evangelio Dominus dicit: qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lauet, sed mundus est totus. Si igitur peccata in baptismo funditus minimè dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait: qui lotus est mundus est totus. Nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse qui redemit.

*Articuli Quinti,
Punctum Tertium.*

Justitiam acceptam conservari
atque etiam augeri per bona o-
pera; eaque non solummodo fru-
ctus &